



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCLII. De Fratre Ludovico de Libencele, & bello ipsius contra
Lethovvinos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.
Meneko de Querfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

CAP. CCLII.

De

*Fratre Ludovico de Libencele, & bello
ipsius contra Lethovinos.*

Edem tempore frater Ludovicus de Libencele fuit Comendator de Raganita, qui cum suis fratribus & armigeris multa bella gloriose gessit contra Lethovinos. Navale bellum multiplex habuit, unum versus (a) Anstechiam terram Regis Lethovix, in qua villam dictam (b) Romene, quæ secundum ritus eorum (c) sacra fuit, combussit, captis omnibus & occisis. Ubi frater Conradus dictus Tuschvelt occisus fuit. Alia bella habuit contra territorium Samechia dictum Graudam, ubi positis insidiis, & paucis depradantibus, ipsum omnes equites sequentes, præter sex, interfecit. Et in hoc bello hi de (d) Pograuda adeo debilitati fuerunt, quod multis annis non poterant in equitibus resumere vires primas. Idem processit contra territorium dictum Wayken, ubi & per insidias multos nobiles interfecit. Non posset ad plenum scribi, quanta bella gesserit contra eos. Sed ut breviter concludam, adeo infestus fuit eis, quod infra sex annos, quibus dicto Castro præfuit, coëgit omnes Lethovinos, qui supra littus Memelæ habitabant, à fluvio Nave, usque ad terram (e) Lamotinam, ut pacem cum Christianis haberent sub his pactis, ut certum censum annis singulis darent ei. Ecce mira res, quantacunque mala fecit eis, tum diligebant eum in tantum, ut etiam nobiles per quos Samechia tunc regebatur, populum communem contra Regem Lethovinorum provocarent, sic quod pluribus viribus convenerunt contra Regem ad bellum, ubi aliquando in uno conflictu centum vel CC. vel plures ex utraque parte caderent interfecti. Nec

T t 2

un-

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Meneko de Quersfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

unquam temporibus suis Rex Lethoviæ cum Samechis poterat concordare, ut simul in bello procederent contra fratres.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Stanislaus Sarnitius Anstechiam fuisse dicit Curlandiæ Provinciam maritimam *lib. VI. Annal. Polon. f. 286. & 293. seq.* Sed Matthias Strykovvski Offostevicius eam collocat in Samogitia, ad Dubissæ amnis ostia, ubi in Memelam se exonerat. *lib. III. Hist. Litvan. pag. 74. & ex eo Kojalovvicz part. I. Hist. Litv. lib. 2. p. 31. seq.*
- (b) ROMOVЕ, legunt Striykovvski & Kojalovvicz. Jerofchinus habet Romayn. Aliam verò hanc urbem fuisse à Romanova Prussiæ patet ex Dusburgii *part. III. Cap. V.*
- (c) Auctor Chron. antiqui Germ. Idiom. scripti in 4. addit non urbem tantum fuisse sacram, sed & ipsos incolas.
- (d) Vaykam & Pagraudam territoria Samogitiæ fuisse, scribit ex Strykovio, Kojalovvicz *part. I. Hist. Litv. lib. VI. p. 206.*
- (e) Striykovvskii habet à Narva usque ad Memelam. Auctor Chronici Germanici Antiqui in 4. prorsus hæc verba omisit, licet cætera ferè ad verbum hoc loco ex Dusburgio in Chronicon suum transulerit. Jerofchinus verò eodem modo legit ut Dusburgius noster: Von dem Bliesse Nerge bis an das Ländil Lamotin.

CAP. CCLIII.

De Morte fratris Th. de Esbeth & trium fratrum & plurium Christianorum & infidelium.

ANNO Domini MCCXCV. feria VI. ante diem Pentecostes
V. fratres & centum quinquaginta viri de Sambia & Natangia equitarunt versus Castrum Gartham, & dum appropinquarent, placuit eis, ut remissis equis Navigio Memelam descenderent, ubi in littore quâdam villâ Lethovvinorum, occisus
&